

petno loquitur ad Deum: Tu fabricatus es auram et solem, et aetalem et ver tu plasmasti. »

Vers. 9.

9. ET ERIT DOMINUS REX SUPER OMNEM TERRAM. — Ad litteram tenuiter hoc competit Machabæis, quorum praelia et victorie divine in omni terra, scilicet Judea, imo toto orbe divulgate et celebratae sunt; ac consequenter pleræque gentes Deum eorum datorem et auctorem, quasi Dominum totius terræ timebant et celebraverunt. Verum plane et plene id convenit Christo, quem ut Deum mundi Dominum, per predicationem Apostolorum agnoverunt, invocaverunt et coluerunt omnes gentes. Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Haymo, Ribera et alii.

IN DIE ILLA ERIT DOMINUS UNUS, ET ERIT NOMEN EJUS UNUM. — *q. d.* Jam in orbe multi habentur et nominantur dñi, ut Jupiter, Apollo, Saturnus, Mars, etc.; sed tempore Christi unus ab omnibus gentibus coelestis et nominabitur Deus, puta Christus, qui solus verus est Deus, idemque cum Patre et Spiritu Sancto. Tunc ergo ubique nomen solum Christi invocabitur, non idolorum. Ita Vatablus et alii jam citati. Nota metonymiam: *nomen* enim significat rem, puta personam nominatam. Sic Poete viros celebres et nominatos vocant *nomina*. Unde Ovidius, eleg. iv, lib. III *Trist.*: « Vive tibi, et longe nomina magna fuge: » *nomina*, id est potentes et principes, qualis erat Augustus, qui Ovidium relegavit in Sarmatiam, que nunc est Polonia, ubi locus exsilii ejus ostenditur.

Vers. 10.

10. ET REVERTETUR OMNIS TERRA USQUE AD DESERTUM. — Hebraice, sicut *desertum*, id est aequae ac desertum. Unde Septuaginta vertunt: *Circumiens* (Dominus, qui præcessit) *omnem terram et desertum*, id est usque ad desertum, inclusive, uti veritè Noster. Ad litteram significatur quod Judæi, qui in persecutione Antiochi dispersi fuerant usque ad deserta, montes et cavernas, post pugnas et victorias Machabæorum revertentur ad suas sedes et domos; revertentur, inquam, ex colle, scilicet Gabaa, in habent Hebræa (que fuit urbs Benjamin, in qua natus est Saul primus rex Israelis), qui erat limes Aquilonaris regni Judæ, usque ad Remmon, qui erat alter Jude limes ex parte Australi, *q. d.* Judæi dispersi in extremos limites regni revertentur in suas sedes, ac præsertim in Jerusalem, in eaque quiete et læte degent: quo significat totam Judeam fore pacatam, quietam et felicem. Ita Palacius et Mariana. Hoc verum in Machabæis et Synagoga, verius in Apostolis, per quos omnes gentes confluerunt ad Ecclesias.

*Secundo*, quia hebræum עִרְבָּה *araba*, non tantum desertum, sed et planitiem significat, hinc alii sic explicant, *q. d.* « Revertetur, » id est redigetur omnis terra vicina Hierosolymæ in desertum, id est in solum plantum, sive in planitiem et aream, ut eo usque dilatari, eique inædificari possit urbs Jerusalem, ejusque suburbia, villa et vinea. Unde ex hebræo vertunt Chaldaeus et

Pagninus: *Circumabitur omnis terra velut plantities; et Tigurina: Circumabitur universa terra ut aequiore plano; et Vatablus: Vertetur universa terra tanquam planities; alii ad verbum: Et circumabitur universa terra ut planities.* Hebræum enim עִרְבָּה *tissob* idem est quod *circumabitur*, vel *circumabitur, q. d.* Universa terra circa Jerusalem, que montosa est, vertetur in planitiem, complanabitur et fiet æqualis, ut a quovis facile circumiri et circumambulari possit. Solent enim montes vicini urbes abscondere, auram liberam impedire, et dare latebras hostium insidiis. Promittit ergo Deus se montes hosce complanaturum, ne urbi prospectum, tam activum quam passivum adimant, et ut aere libero ventisque perflari possit, nec hostium subiacet insidiis, ac domos et muros suos eo propagare possit: urbes enim in planitie sita amoenæ sunt, ac eminens conspicunt et conspiciuntur. hæc ut sonant, tenuiter facta sunt ab Assamoneis: unde per hæc potius symbolice significatur Jerusalem spiritalis, id est Ecclesie Christi amenitas, æqualitas, incrementum et propagatio, quodque Deus omnia in ea ardua complanabit, et facilia efficit per gratiam Christi, adeo ut etiam pueri et puellæ ea superent, non tantum constanter, sed et hilariter, juxta illud: « Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et videbit omnis caro salutem Dei. » *Luc.* III, 5. Unde rursum significatur Apostolos ituros ad gentium deserta, ibique barbaros ad Christum conversuros, uti modo fit in Indiis. Addunt aliqui per fidem Christi factum esse, ut regiones olim deserte colerentur et habitarentur, uti reipsa factum esse in Germania, Hungaria, Polonia, Dania, Suecia, etc., demonstrat Thomas Bozius in *Signis Ecclesie*, tom. II, lib. XX, signo 88. Hoc est quod exsultans canit Isaias cap. xxxv, 1: « Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germianus germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli et Saron, ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. » Unde S. Hieronymus mystice sic explicat: « Tunc revertetur omnis terra in qua habitare Judæi, usque ad desertum, id est usque ad populum gentium, qui prius deserta erat, et legis nullitatem non habebat, a Gabaa usque ad Remmon, hoc est a colle usque ad excelsum: quia de terra, et de deserto ad colles, et de collibus ad montana consurgimus. Unde et sponsus, *Cant.* II, transiit colles, qui minores sunt, et salit super montes excelsos, de quibus scriptum est: Montes excelsi cervis. » Verum Mariana ad litteram planius et facilius hanc versionem sic explicat: *Circumabitur omnis terra sicut planities, q. d.* Illis aquis vivis, quas vers. 8 dixi egredias de Jerusalem, irrigabitur et circumabitur omnis terra, scilicet vicina Hierosolymæ. Hoc factum esse tempore Machabæorum, patet ex fonte Gihon, Rogel, Cedron et aliis paulo ante nominatis.

quibus irrigatur et quasi utrinque ambitur Jerusalem, tam ad Orientem quam ad Occidentem, ut patet insipienti tyrum et delineationem Hierosolymæ, quam ad vivum exhibent Adrichomius et alii. Quocirca frustra contendunt Judæi hæc nunquam esse impleta, sed implenda a suo Messia. Cœperunt enim impleri sub Machabæis corporaliter, uti docent Palacius, Mariana et alii; sed spiritualiter, multoque excellentius et divinius impleta sunt per predicationem Christi et Apostolorum.

DE COLLE REMMON. — Hebraice מִגְּבֵא *miggheba*, quod Septuaginta, Chaldaeus, Rabbinæ, eosque secuti Tigurina, Pagninus et alii recentiores, accipiunt ut nomen proprium, vertuntque: *De Gabaa usque ad Remmon.* Et sic Noster accipi potest, *de colle*, scilicet Gabaa, usque ad Remmon. Remmon enim est accusativi casus: patet ex articulo *lamed*, qui ei præfigitur: *lamed* enim Hebræis servit accusativo. Verum quia subinde *lamed* servit quoque genitivo, hinc *secundo* verti potest, *de colle Remmon*, id est Remmonis. Si per accusativum exponas, sensus erit quem paulo ante dedi, nimirum quod revertentur Judæi dispersi undequaque, scilicet ex colle Gabaa, qui est ad aquilonem Jerusalem, usque ad Remmon, qui est ad austrum ejusdem. Ubi nota duplicem fuisse Remmon, unam in tribu Simeonis, de qua *Josue* XIX, 7; hæc erat australis Hierosolymæ; unde de ea hic agit: alteram in tribu Judæ; hæc erat Aquilonaris, quam Josephus lib. V *Antiq.* cap. vi, vocat Roob, eratque petra prærupta, et in ea urbs, distans a Jerusalem 13 milliariibus, non longe a Gabaa inter Septentrionem et Orientem, in qua continuerunt se sexcenti viri in exterminio tribus Benjamin, ex quibus tota tribus reparata est, *Judic.* cap. xx et xxi. Ita S. Hieronymus, Adrichomius et alii. Jam si *Remmon* hoc secundum accipias, idque in genitivo, sensus erit similis jam dicto: juxta aliam vero versionem paulo ante allatam sensus erit, *q. d.* Complanabitur regio vicina Jerusalem a colle Remmon, qui est ad Septentrionem, *ad Austrum*, intellige *et, q. d.* et ad regionem que est ad Austrum, ita Sanchez vel usque ad Austrum, id est usque ad locum Remmon, ex parte australi oppositum, ita ut spatium intermedium sit æqua, jucunda et amœna planities, patensque campus, per quam protendantur Hierosolymæ partim plateæ, partim suburbia, partim villa, vineæ et horti. Aut, *q. d.* Incolæ Terræ sanctæ a Remmon usque ad australem locum ei oppositum, venient in Jerusalem, ut eam ædificent. Aut aquis vivis, e Jerusalem egredientibus irrigabitur planities, interjecta inter Remmon et australem locum ei oppositum.

Mystic.

Mystice, fideles in Ecclesia dicunt cum sponsa, *Cant.* IV, 6: « Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris, » puta penitentia et orationis; indeque pergunt ad Remmon, id est malogramatum (unde et Andreas Masius in *Josue*, cap. XIX

13, censet locum hunc dictum esse Remmon, a malorum granatorum copia et fertilitate), puta ad plenam charitatem, tam Dei quam proximi. Sicut enim malogramatum plurima grana complectitur, lisque quasi coalescit; ita charitas omnes proximos visceribus suis complectitur, sibi que astringit et unit, atque ex omnibus omnibus et singulorum amoribus quasi coalescit.

ET EXALTABITUR — Jerusalem, tam domibus et muris, quam fama et gloria. Machabæi enim ædificaverunt montem Sion, scilicet cingentes eum altis muris et turribus per circuitum. Ita Palacius.

ET HABITABIT IN LOCO SUO, — id est loco pristino reedificabitur, ait S. Hieronymus. Verum Romana et Hebræa legunt, *habitavit*, id est habitabit, in loco suo, id est quiete, secure, læte habitabit domi suæ, nullos metuens hostes. Septuaginta hebræum מְרֻרָא *rama*, id est *exaltabitur*, accipiunt ut nomen proprium. Unde vertunt: *Rama autem in loco permanebit.*

A PORTA BENJAMIN. — Erat hæc in Bezetha, sive Cenopolis, id est nova urbe. Significat ergo vellem urbem augendam per novam, puta adjiciendam ei Bezetham, sive Cenopolim. Ubi nota Jerusalem ita adnactam fuisse, ut veteri civitati duæ aliæ partes, quasi novæ civitates sint adjectæ, ita ut esset quasi triplex, vel triplex civitas, quarum quæque suos habebat muros et portas. Hinc et vocabantur, *prima, secunda, tertia* civitas. *Prima* erat vetus, in qua erat porta prior. *Secunda* erat veteri proxima, in qua habitabat Holda prophetissa, IV *Reg.* XXII, 14. *Tertia* erat extrema, et vocabatur Bezetha, sive Cenopolis, in qua porta erat Benjamin. Vide tyrum Hierosolymæ apud Adrichomium.

A TURRE HANANEEL (quæ erat ultima civitatis veteris, indeque cepit augeri civitas, adjecta Cenopolis), USQUE AD TORCULARIA REGIS — que erant in adversa parte remotissima, puta in monte Sion, in quibus vinum regum exprimebatur. Omnia hæc significant Jerusalem valde augendam et ornamdam ad quatuor portas sub Machabæis, inquit Mariana et Palacius, per quod symbolice significantur amplificatio, complanatio, et exornatio Ecclesie Christi ad quatuor plagas mundi, ac multitudine ædificantium et christianorum. Simile symbolum dilatationis Ecclesie sub typo extensionis Jerusalem, habet Jeremias cap. XXXI, in fine, et Isaias cap. LI, 2, ut ibi dixi.

11. ANATHEMA NON ERIT AMPLIUS. — Hebraice *cherem*, id est excisio, id est res abominanda et excidenda, puta idolum quod Antiochus collocavit in templo, quod a Daniele cap. XI, 31, vocatur abominatio desolationis, *q. d.* Amplius idolum non pollutent templum, nec colentur. Ita Theodoretus et Palacius. Hoc factum sub Machabæis. *Secundo*, proprie, anathema hebraice dicitur *cherem*, id est excisio, succisio, ut veritè Chaldaeus, de quo dixi *Rom.* IX, 3, et *Levit.* cap. XXVII, 28, *q. d.* Amplius non excidetur, nec vas-

Jerusalem erat triplex civitas.

Vers. 11.

tabitur Jerusalem, scilicet usque ad longum et inmemorablem tempus: nam postea a Tito plane excisa est. Parabolice, Ecclesia Christi non excindetur, sicut excisa est Synagoga, sed durabit in æternum, donec a statu militante transferatur in triumphantem. Unde S. Hieronymus: « Nullus, inquit, erit metus hostilis impetus, nulla formido: » nam « sedebit Ierusalem secunda » in fide et spe tutelæ et protectionis divinæ; pari modo securus in ea sedebit fidelis et sanctus quisque, juxta illud *Psal.* xc, 1: « Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorebitur. »

Vis exemplum illustre, imo in uno multa, eaque eximia, accipe. Magnus ille S. Sabas, qui tempore Anastasii et Justiniani imperatorum acriter Concilium Chalcedonense propugnavit, et meritis cumulatim anno ætatis 92, Christi 331, gloriosus migravit in cælum, cum furiosus in eum irrueret Satanas species leonis, stetit securus, quia Deo nixus, atque: « Si accepisti contra me potestatem, ego reprimis impetum? Ego sum paratus, Dei cedens militibus, et non invitum me offerens, ut deverer; sin minus, cur fremis et exultas inaniter? Ambulabo enim, et concubabo te leonem, multus Christi virtute. » Aufugit Satanas: omnes autem fere ab illo tempore idem magis fuerunt mansete et obediens: adeo ut ipse una cum eis versaretur, et nihil omnino læderetur. Agareus machinans S. Sabæ necem, eo orante: « Hi in curribus, Domine, et in equis, nos autem in nomine tuo magnificabimur, » illico a terra, quasi aller Dalhan, absorptus est. Exinde Dei gratia ita virum sanctum imbuunt, ut nihil faceret barbarorum insidias: et non solum ab eis non vinearetur, sed ne terroretur quidem penitus. Multis ergo ei se in sanctam disciplinam dantibus, Latæ ejus facta est chorus Apostolorum, aut angelorum Ecclesia laudantium Dominum. Ipse toto jejuniarum tempore erat jejunus, et nihil cibi attingebat, nisi quod sabbatis et dominicis divina sumebat sacramenta. Tentatus a demone psallebat: hinc cor ejus tranquillitate et hilaritate implebatur, demon se ab eo victum exclamavit. Magna in Deum fiducia ab eo per miraculum aquam, pecuniam et quicquid voluit, obtinuit. Ingressus speluncam ingentis leonis, cum se post preces sopori dedisset, ad eum media nocte fera accessit, et cum eum veste apprehendisset foras traheret. Ille excitatus et leonis conspectu minime conturbatus, nocturnos hymnos protinus est aggressus. Loco foras egressus expectabat quoad preces finiret: quibus finitis, leo regressus, vestie eum tentat extrahere; cui ille infrepidus: « O leo, inquit, hæc quidem spelunca ambobus, si velis, sufficit ad habitandum. Sin hoc tibi non videtur, tu mihi potius spelunca eade. ego enim Dei manu sum formatus, et ejus sum honoratus imagine. » His auditis leo abiit, S. Sabæ cedens

spelunca et cubili. Quin et latrones occurrentibus leonibus: « Per preces, inquit, Sabæ monachi via nobis cedite: » et statim leones tanquam gravi plaga, nomine Sabæ percussis, in fugam se coniecerunt: quo viso, latrones conversi vitam mutarunt. Leo, cui erat pes paxillo transfixus, accessit ad S. Sabam, pedem porrigens, et opem possens. Exiit paxillum vir sanctus, quare gratus leo ei deinceps quasi famulus adhesit, et in omnibus quoad potuit inserivit, custodiens asinum, qui monasterio aquam et necessaria comportabat. Qui feras non formidabat, reges non timuit. Anastasium hæreticum imperatorem libere redarguit. Justinus Imperator ejus faciem lumine coruscant intuitus, quasi angelum Dei excepit, ab eoque benedictionem petiit. Justinianus imperator eum reveritus, mira ejus rogatu effecit. Statuerat ei ad colloquium horam tertiam: illa ut somnit, Sabas, relicto imperatore, ad solitam psalmodiam se recepit. Urgente discipulo ut imperatori occurreret: « Imperator, inquit, facit quod ei convenit: et nos facimus id quod debemus. » Hæc Cyrillus in *Vita S. Sabæ*.

12. **TABESCE** (hebraice *תבשע* *tabesce*, id est liquecet, *vers. 12*, sicut cera coram igne liquecet et dissolvitur, ita Pagninus et Vatablus, *tabesce*, inquam) **CARO INVICISQUE SUPER PEDES SUOS**, — id est viventis et vigentis, *q. d.* Tabescant hostes Hierosolymæ, non febril, non morbo, sed plaga divina, ita ut sanus, stans, vivens et vigens marcescat et contabescat. Id contigit Antiocho, quem Deus tumentem et furentem subito « percussit insanabili et invisibili plaga: ut enim finivit hunc ipsum sermonem (de vastanda omnino Jerusalem), apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara interiorum tormenta, ete. Il *Machab.* ix, 3. Simili modo Antiochi duces et milites validi cum Juda et Machabæis decertantes, percussis a Deo et percussis cadebant animis et viribus, quasi tabescentes. Ita de Lysia dicitur I *Machab.* cap. iv, 27: « Quibus ille auditis consternatus animo, deficiebat. » Et Judas Deum orat *vers. 32*, dicens: « Da illis formidinem, et labefac audaciam virtutis eorum, et commoveantur contritione sua. » Similiter lib. II, cap. x, 30, narratur quod angeli stipantes Judam, « cum incoluntem conservabant: in adversarios autem tela et fulmina jacebant, ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbacione cadebant. » Et cap. xii, 22, loquens de prælio Judæ cum Timotheo: « Cumque cohors, inquit, Judæ prima apparuisset, timor hostibus incussus est, ex presentia Dei, qui universa conspiciet, et in fugam versi sunt alius ab alio, ita ut magis a suis deicerentur, et gladiatorum suorum icibus debilitarentur. »

Parabolice, hoc verius fuit in persecutoribus Ecclesie. « Legamus, ait S. Hieronymus, ecclesiasticas historias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus, quid savissimus omnium Maximinus, et nuper Julianus

Tyranni et hereticorum cogites percussus.

passi sunt; et tunc rebus probabimus, etiam juxta litteram, prophetia veritatem esse complem, quod computruerint carnes eorum, et oculi contabuerint, et lingua in pedorem et saniem disoluta sit. »

Sic Nestorii blasphema lingua, quam exnerat contra Ecclesiam et B. Virginem, docens eam non esse Deiparam, sed Christiparam, a verbis erosa extabuit. Sic Arius cœlesti plaga percussus, dum pergit ad invadendam ecclesiam christianorum Constantinopoli, correptus ingenti dolore viscerum, secedens in latrinas intestina emisit, animamque infelleum efflavit, ut refert S. Ambrosius lib. I *De Fide*, cap. ix, et Socrates lib. I *Histor.* cap. xxv. Sic Calvinus instar Herodis forore et verbibus consumptus, toti orbi vindictæ divinæ exemplum et portentum fuit, ut refert Bolesus in ejus Vita. Hoc est quod ait Isaias cap. lxxix, 26: « Cibabo hostes tuos carnibus suis, et quasi musto, sanguine suo inebriabuntur. » Vide ibi dicta.

Anagogice, ita dissolvit et tabescere faciet Deus Antichristum, Gog, Magog, omnesque impios, in fine mundi per plagas horrendas, quas eis immittet, « arentibus hominibus præ timore, et expectatione (eorum) que supervenient universo orbi, » ut ait Christus *Luc.* cap. xxi, 26. Hæ enim plage et terrores proprie et directe immittentur in impios, indirecte tamen et committentur hostes etiam pios, sed in ipsorum bonum. Nam hoc erit eis vel purgatorium penitentiæ, vel martyrium patientiæ, ad illustrandam eorum virtutem, et augendam coronam. Ita Lyranus.

Tropologie, tabescit caro, oculi et lingua in nobis, quando per gratiam Christi mortificamus concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vite, que maxime se ostendit in jactantia linguæ. Hi enim sunt tres hostes, et tentatores nostri in mundo, ut docet S. Joannes *epist.* I, cap. ii, 16. Ita Stonica.

*Vers. 13.* 13. **ERIT TENUITUS DOMINI** (puta a Domino excitatus, ideoque) **MAGNUS IN EIS**, — scilicet hostibus Machabæorum, æque ac fidelium et christianorum. Pro tumulus hebraice est *תבורה* *teborah*, quod Chaldaeus verit: *Erit conturbatio stragis eorum Domino, q. d.* Conturbabuntur hostes ob stragem acceptam a Domino; Septuaginta: *Erit stupor Domini magnus super eos, q. d.* Deus percellit eos et in stuporem adiget, facietque stupidos, ut se movere et colligere nequeant; Pagninus et Vatablus: *Erit contritio Domini magna in eis, q. d.* Deus valide et vehementer conteret eos: alii: *Erit strepitus, vel fragor Domini magnus in eis, puta tonitru, uti olim accidit Philisteis invadentibus Judæos, juxta illud quod Anna de filio suo Samuele prophetavit, dicens: « Dominum formidabam adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit. » I Reg. cap. ii, 40. « Cum enim Samuel offerret holocaustum, Philistim inire prælium contra Israel: intonuit autem Dominus*

fragore magno in die illa super Philistim, et exterruit eos, et cœsi sunt a facie Israel, » I *Reg.* vii, 40. Idem fecit milibus Antiochi pugnantibus pro Juda; nam fulmina in eos jaculata est, ut dicitur lib. II *Machab.* cap. x, 30; tonitrua enim comitari, imo causare solent fulmina.

Et **CONSERVATUR MANUS**. — Hebraice: *Et ascendet manus super manum proximi sui*, quod Remigius et Hugo sic explicant, *q. d.* Infideles, videntes stupida prodigia Apostolorum, conserent manus, eoque signo fœdus inibunt, ut pariter se dedant Christo et Apostolis. *Secundo*, Vatablus verit, *ascendet*, scilicet in auras, id est evanescet, *manus ejus in manum proximi, q. d.* Si quis rogavit opem a socio suo ut oppugnet Jerusalem, frustra id faciet: quia nec vires humane, nec consilia humana quidquam valebunt adversus vires et consilia Dei. *Tertio*, Chaldaeus verit: *Et extollatur manus ejus cum manu proximi sui*; et Pagninus: *Succedatur manus ejus super manum amici sui, q. d.* Implorabunt opem sociorum, sed cum his succedentur. *Quarto* et verisimiliter, Theodoretus et Lyranus exponunt, *q. d.* Tantus erit hostium tumultus, ut in se invicem versi manus conserant, mutuisque se concidant vulneribus. *Quinto* et simplicissime, *q. d.* Tanta erit tumultuantium trepidatio, tantus pavor, ut metum exanimæ manus apprehendant, æque conserant et conglobent, ut hæc unione conglobati pavori quoquo modo resistere valeant. Sic enim videmus oves, boves, porcos, omniaque animalia in pavore, v. g. veniente lupis, naturæ instigante conglobare et condensare se, quasi a se mutuo opem petant, ut uno eoque communi agmine conferti communi hosti resistant, seseque tueantur. Ea est vis pavoris, ea ex adverso societatis, juxta illud *Eccl.* iv, 9: « Melius est ergo duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ, etc. Et si quisquam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficile rumpitur. »

14. **SEN ET JUDAS**, — *q. d.* Multi Judæi partim *vers. 14*, metum, partim ex improbitate, spe opum et honorum jungent se Antiocho, et pugnant contra Jerusalem et Machabæos, ut dixi cap. xii, 2. Simili modo tempore Christi Judæi oppugnant Jerusalem, id est Ecclesiam nascentem in Jerusalem. Mystice, Judæ, id est confidentes et fideles pugnant contra Jerusalem, id est Ecclesiam, qui fidem christianam quam professi sunt, abdicant et ejurant, funtque heretici, apostatae, Soræeni, pagani: hi enim solent esse infensissimi fidelis agnitæ et Ecclesie hostes. Ita Remigius et Lyranus. Id videmus in renegalis, qui sunt robur Turcarum contra christianos.

Et **CONSERVABUNTUR DIVITIE**. — Sic ad litteram spoliis Nicanoris, aliorumque Antiochi ducum et copiarum, ditavit se suosque Judas Machabæus, II *Machab.* viii, 27: ita Theodoretus, Palæcius et Mariani, sub quorum typo intelligit spolia que

ex gentibus in Ecclesiam intulerunt Apostoli. Nam, ut ait Isaias cap. lx, gentes converse ad Christum omnes suas opes in Ecclesiam contulerunt. Unde gratulatur Ecclesie dicens: « Suges lac Gentium, et mamilla regum lactaberis, etc. Pro ere afferam aurum, et pro ferro afferam argentum; » sub quibus rursus typice intelligit sapientiam, philosophiam, eloquentiam, mathematicas aliasque scientias et artes, tum liberales, tum mechanicas, quibus Gentiles conversi ornarunt Ecclesiam. Minus congrue Lyranus hæc accipit de spoliis gentium, quæ Antichristus inferet in Jerusalem, ubi suum thronum figet; ipse enim erit hostis et tyrannus Jerusalem, non rex et tutor.

Mystice, Remigius, Albertus, Vatablus et Arias per aurum accipiunt charitatem, per argentum sapientiam divinam, per vestes cæteras gratias et virtutes christianas, quas a Deo acceperunt gentes converse ad Christum. Verum eas non intulerunt in Ecclesiam, sed in Ecclesia illas acceperunt, iis tamen eam exornarunt.

Vers. 15. 13. ET SIC ERIT REGINA EQUI, ET NULLI, etc., SICUT REGINA HEC, — q. d. Sicut dixi vers. 12, cedendos et ruituros homines, gentesque quæ cum Antiocho pugnabunt contra Jerusalem, et typice contra Ecclesiam; ita dico pariter cedendos et ruituros eorum equos, mulos, camelos, etc., quibus contra Jerusalem pugnabunt, iis vel dimicando, vel sarcinis convehendo.

Symbolice, hæc omnia per catachresim significant opes et bellica instrumenta hostium Ecclesie, scilicet nobilitatem, astutiam, ingenium, sapientiam, potentiam, eloquentiam, etc., cesura victrici eorum Ecclesie.

Mystice cum S. Hieronymo et Remigio per equos accipe luxuriosos, vel arrogantes; per mulos, dolosos, aut potius cerebroso et phantasticos; per camelos, divitiis et villis onustos; per asinos, acedos, stolidos et stultos. Horum enim luxuria, arrogantia, dolus, avaritia, acedia, etc., corruerunt, cum in baptismo vel poenitentia induerunt castitatem, humilitatem, candorem, charitatem et fervorem Christi.

Vers. 16. 16. ET OMNES QUI RELIQUI FUERINT, — scilicet e strage prelii. Ad litteram alludit ad gentes, quæ post tot et tam illustres Machabeorum victorias, partim iudaismum suseperunt, partim eis federate quotannis confluebant Jerusalem ad eorum festa, ibique Deum eorum adorabant. Ita Theodoretus, Palacius et Mariana. Sic enim Idumæos armis Hyreani, qui filius fuit Simonis fratris Jude Machabeæ, subactos, suscepisse circumcisionem et iudaismum, docet Iosephus lib. XIII *Antiquit.* cap. xviii. Verum quia potius sub iis intelligit omnes quæ converse sunt ad Christum, q. d. Cæteris in infidelitate sua pereuntibus, reliqui gentium conversi ad fidem Christi, singulis annis venient in Ecclesiam, ibique celebrabant festa christiana, non iudaica, ita Stunica, Sanchez et alii: ac

mystice semper celebrabant festum Tabernaculorum; quia vivunt peregrini in hoc mundo, tendentes jugiter ad patriam celestem, in qua mentem deligunt, ut ibi perpetuum festum Tabernaculorum in gloria agant. Nominat præ cæteris festum Tabernaculorum, tum quia illud diutius cæteris, puta per septem dies celebrabatur; tum quia alludit ad tabernacula Hebræorum in deserto, in quibus celesti columna ignis per noctem, et nubis per diem obumbratis, protegabantur a tenebris nocturnis, æque ac ab æstu diurno: simili enim modo fideles in Ecclesia obumbratione Spiritus Sancti protegentur ab omni tentatione et æruma; tum denique ut meminerint christiani, se hic non habere civitatem et domum permanentem, sed habitare in tabernaculis quasi milites et peregrinos, ac tendere ad domum æternam in cælis. Vide dicta *Levit.* xxxiii, 42. Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Lyranus, Vatablus, Ribera et alii passim. Mystice Eusebius lib. VIII *Demonstrat.* cap. iv, per tabernacula intelligit particulares Ecclesias, in quibus quasi in tabernaculis secuti ab omni procella et incurso hostili, degunt fideles tendentes in cælum.

Obijciunt Judæi festum Tabernaculorum proprie esse accipiendum, ac proinde hæc expectanda esse a Messia venturo. Cur enim illud accipiamus spiritualiter et mystice? Respondetur partim proprie illud accipi, sicut impletum esse in Machabeis; partim et potius spiritualiter, sicut plenus impleri in christianis. Porro cur Propheta festa christianorum nuncupet nomine festi iudaici Tabernaculorum, cause sunt variae. *Prima*, quia loquebatur Judæis, qui nonnisi festa iudaica norant. *Secunda*, ut ostenderet festa iudaica esse typos et figuras festorum christianorum, hæcque illis responsura, sicut corpus respondet umbra. Magnam enim fidem Ecclesie facit consensio et consonantia novi Testamenti cum veteri, quodque omnia eius sacramenta et dona admirata fuerint per vetera et iudaica. *Tertia*, quia christiani longe magis et verius agunt festum Tabernaculorum, non semel in anno, uti Judæi, sed continuum et perenne. Hæc est quod eos monet S. Petrus *epist.* I, cap. ii, 11, dicens: « Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis. » Et S. Paulus sæpe docet nos instar Abraham esse peregrinos terre, sed cives cæli et sanctorum, ac domesticos Dei: « Fides, inquit *Hebr.* xi, 1 et 9, est sperandarum, substantia rerum argumentum non apparentium. Abraham fide demoratus est in terra reprobationis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Jacob, coheredibus reprobationis ejusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem: cujus artifex et conditor Deus. » Vide ibi dicta. *Quarta*, quia Propheta propheticè loquitur, id est parabolice symbolice, æmulative tum ob

Festum Tabernaculorum mysticum. Car?

rerum futurarum absentiam, quas per umbras et figuras videant; tum ob eorum obscuritatem, tum ad prophetiam elegantiam. Sic totum hoc capitulum, æque ac totus pene Zacharias, et Ezechiel nullis in locis, ac S. Joannes in Apocalypsi symbolici sunt et parabolici. Simili modo Egyptii sua mysteria representabant per hieroglyphica: Judæi autem erant vicini Egyptiis, et primitus degentes in Egypto illa ipsi viderant: unde et subinde ea imitati sunt, quibus proinde Propheta simili modo prophetant, ne Egyptiis inferiores esse videantur, præsertim cum Egyptii sua symbola et litteras, suamque sapientiam ab Hebræis, puta ab Abrahamo, Jacobo, Mose, etc., hauserint, uti docent Eusebius lib. X *Prepar.* ii, Clemens Alexandrinus lib. I *Stron.*, et S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* cap. xxxix. *Quinta*, quia res spirituales et bona spiritualia, que in novo Testamento attulit Christus, commode hominibus, et præsertim rudibus Judæis explicari non poterant, nisi per symbola corporalia quibus assueverant.

Tropologie et analogice S. Hieronymus: « Quamdiu, inquit, in profectu sumus, et in cursu atque certamine, habitamus in tabernaculis; hoc omni mente nitentes, ut de tabernaculis ad firmam et stabilem sedem transeamus, id est domum Dei. Unde et S. David dicit in Psalmo: « Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est. Et: Advena ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei. Hæc loquitur qui in Egypto est, et adhuc in seculo constitutus. Qui autem egreditur de Egypto (quæ hebraice dicitur מצרים *misraim*, et interpretatur *tribulatio*) et ingreditur vitiorum solitudinem, carpit iter suum, et dicit in Psalmo: Pertransibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, etc. Unde et ille loquitur: Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Et post paululum: Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Vox enim exultationis et salutis in tabernaculis iustorum, etc. Unum petivi a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite mee, ut videam delectationem Domini, et visitem templum ejus. Qui in istiusmodi habitat tabernaculis, et de tabernaculis ad atria, et de atris ad domum, et de domo ad templum Domini ire festinat, debet celebrare sollemnia tabernaculorum in ligno sapientie pulcherrimo » *Levit.* xxiii, 40.

Vers. 17. 17. ET ERIT, QUI NON ASCENDERIT DE FAMILIIS TERRÆ, — scilicet Judæe: de ea enim hic agitur, illaque sola obligabatur lege veteri, et consequenter ad celebrandum festum Tabernaculorum. Ita Vatablus, q. d. Judæi qui non ascenderint in Jerusalem ad festum Tabernaculorum, privabantur imbre, tum corporali (Deus enim Judæos ob impietatem tempore Achab et Elie,

ac deinceps sæpe punivit siccitate et sterilitate), tum potius spirituali verbi, doctrinæ et gratiæ Dei: multo magis hoc imbre privabantur Judæi et gentes quæcumque non ascenderint in Jerusalem mysticam, id est Ecclesiam, ibique non celebrant festum Tabernaculorum mysticum, quod jam explicavi. Ita S. Hieronymus, Remigius, Lyranus et alii.

Reele notat Sanchez, per imbrem significari maxima beneficia. Unde Theodoretus sic explicat: « Non erit super eos imber, id est nullam misericordiam assequentur. » Tota enim fertilitas et felicitas Judææ pendebat ab imbre matutino et serotino, puta sementis et messis: unde eum toties promittunt Prophete, ejusque subtractionem impiis comminantur. Alludit ergo Zacharias ad illud Moysi, *Deuter.* cap. xi, 40: « Terra enim quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Egypti, de qua existit, ubi jacto semine in hortorum morem, æque deuncitur irrigue: sed montosa est et campestris, de celo expectans pluviam, quam Dominus Deus tuus semper invisit, et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus. Si ergo obedieritis, etc. dabit pluviam terræ vestre temporaneam et serotinam, ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum. »

Vers. 18. 18. QUOD ET SI FAMILIA EGYPPTI NON ASCENDERIT. — Meminit Egypti potius quam aliarum regionum et gentium: primo, quia directè respicit ad Judæos, qui post Jonatham fratrem Jude Machabeæ, ex consensu Ptolemæi Philometoris regis Egypti, ibidem templum simile Hierosolymitano edificaverunt Heliopoli, in eoque pontificem constituerunt Oniam filium Oniæ pontificis, a quo urbs et regio, æque ac templum Onion est appellatum. In eodem loco puer Jesus, fugiens Herodem exulavit: unde etiam ibidem ostenditur fons Jesu, irrigans hortum balsami, ex cujus irrigatione balsamum oriri censet Bredembachus, ut refert Adrichomius in *Heliopoli*: stetit hoc templum usque ad imperium Vespasian per annos 300. Erectum fuit contra legem Dei, que jubet ut solum in loco a Deo electo, puta in Hierosolymitano templo immoletur. *Deut.* xvi, 2. Peccaverunt ergo Judæi in Egypto erigentes quasi altare contra altare, et facientes schisma a Jerusalem et templo ibidem jussu Dei edificato, de quo Iosephus lib. XIII *Antiq.* vi. Sensus ergo est, q. d. Si Judæi qui in Egypto degunt, suum Oniam adire velint, nec ascendere in Jerusalem, privabantur pariter imbre jam dicto. *Secundo*, quia Egyptii vix erant Judæis, isque infensi unde per synochothen representant quosvis gentiles et hostes Judæorum, q. d. Si fuerint alienissimi a Jerusalem, quales in primis fuerunt Egyptii, nolint in eam mystice ascendere, puta si nolint adire Ecclesiam, ferique christiani, non erit super eos imber gratiæ celestis. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Lyranus et Vatablus. *Tertio*, quia Egyptus caret imbre et pluvia co-

Vers. 18.

Onion Heliopoli.

Fons Jesu.

Egyptus pro im-

bre ha-  
bet Nil  
exunda-  
tionem.

lessi: pro ea enim habet terrestrem, puta Nilum, cuius exundatione irrigatur et fecundatur, magis vel minus secundum majorem vel minorem ejus elavium. Unde Plinius lib. V, cap. ix: «*Egyptus, ait, in duodecim cubitis (quibus Nilus exundans super agros ascendit et eminet) famem sentit, in tredecim etiamnum esurit, quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sedecim delicias.*» Quocirca cum hic *Egyptus* comminatur, dicitur: «*Non erit super eos imber,*» per imbrem intellige irrigationem Nili: hec enim *Egypto* est loco imbris: alioquin eis nulla est poena carentia imbris, si adsit Nili exundatio. Unde Chaldaeus vertit: *Non crescit ejus Nilus.* Ita Mariana. Sensus est, *q. d.* Gentiles, qui sibi videntur abundare imbre sapientiae, ubi *Egyptus* abundat aqua Nili, eo desituerunt, nisi adeant Ecclesiam, in eaque illum coelitus hauriant. Punientur ariditate et sterilitate, non tam corporali, quam spiritali gratiae et doctrinae salutiferæ.

Quarto, quia *Egyptus* hebraice vocatur מצרים *mitsraim*, quæ vox significat angustias, aut duas angustias, sive angustum et arcum quid inter duo prementia: unde apte representat angustias infidelium presentis et æternas, quæ eos manent nisi Ecclesiam adeant, ejusque imbre divino irrigentur. Quocirca subdit: «*Sed erit ruina, qua percutiet Deus omnes gentes,*» etc. Ruina hæc partim temporalis est, v. g. qua Constantinus, Theodosius, Carolus, alique principes christiani percusserunt et prostraverunt infideles in preliis; partim æterna, qua eos Deus percutiet in gehenna.

Ver. 19. 19. HOC ERIT PECCATUM ÆGYPTI. — «*Peccatum,*» id est peccati poena et plaga, puta ruina jam dicta. Unde Chaldaeus: *Hoc erit ultio Ægyptiorum, et punitio populorum;* est melonymia. Secundo, proprie, *q. d.* Hoc erit antonomastice peccatum, scilicet peccatum peccatorum omnium maximum, si nimirum nolint gentes exire e suo gentilismo et ingredi Jerusalem, id est Ecclesiam Christi, in eaque celebrare festum spirituale Tabernaculorum, fide, spe et charitate tendendo ad patriam cœlestem. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et Hugo.

Ver. 20. 20. IN DIE ILLA ERIT QUOD SUPER FRENUM EQUI EST, SANCTUM DOMINO. — Hebraice est מצילת *mitsilot*, quod Septuaginta, Syrus, Arabicus Antiochenus et Noster vertunt, *frenum*. Causam dat Marinus in *Lexico*: *Crederem, ait, mitsilot esse partem illam freni ferream, quæ prominet ex ore equi (quæ vulgo dicitur morsus del cavallo), sic dictam a collisione et tinnitu, puta a nomine מצילת *tsiltset*, quod per onomatopœiam significat cymbalum (vel quid simile) tinniens.* Hinc secundo, *q. d.* Hæc pars victoriae vertunt, *tintinnabulum*, quod muliones ex capite vel collo mulorum et equorum onerariorum, præsertim principum, suspendunt tum ad ornatum, tum ut ex ejus sonitu sciatur

ubi sint, ne, si a via aberrant, perdantur. Unde Pagninus vertit: *In illa die erit super tintinnabula equorum sanctitas Domino, q. d.* Tintinnabulis equorum insculpentur hæc duæ voces, *sanctitas Domino*, ut significetur ea esse consecrata Deo. Tertio, Chaldaeus et S. Hieronymus in *Comment.* vertunt, *phaleras*, quæ tegunt, ornant et obumbrant equum; radix enim מצילת *tsaltel* significat tegere, obumbrare: unde מצילת *tsel* est umbra. Quocirca Chaldaeus vertit: *In tempora illo erunt onus phaleræ equi sanctificatæ Domino;* et Tigurina: *In die illo consecrabitur Domino quod est in equorum phaleris.* Quarto, Clarius vertit, *collaria; alii, stragula et quævis equorum ornamenta;* denique Arabicus Alexandrinus vertit, *putridum, vel tabem equi.*

Sensus est, *q. d.* Machabeï viatores, æque ac principes christiani, in templo consecrabitur Deo hostium manubias, præsertim phaleras et ornamenta, quæ equis eorum detraxerunt, sicut David gladium quem detraxit Goliath, quoque eum occidit, consecravit Deo in templo, I *Reg.* xiii. Rursum, *q. d.* Post Ecclesie victoriam et dominatum alta erit ubique pax, adeo ut aurum, argentum et gemmæ quibus ornari solebat frena principum, et nobilium stragula ac phalera pretiosæ, convertantur in Dei cultum, Deoque dedicentur, vel quasi trophæa in gradiarum actionem, ut vult Theodoretus, vel ad testandum pietatis et devotionis affectum. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Vatablus, Arias, Ribera et alii. Huc accedit expositio Stunica, qui censet alludi hæc ad laminam quæ erat in tiara pontificis appensa fronti, cui inscriptum erat: *Sanctitas Domino, q. d.* Hic est pontifex sanctificatus, et consecratus Domino. Indicat ergo Zacharias Machabeos militesque viatores suis preliis preliatos sanctitatem Domini, quasi titulum et causam, æque ac symbolum belli, in quo omnem victorie spem collocant, *q. d.* Nos pugnamus pro lege sancti Dei; unde ejus symbolum in vexillis et armis præferimus, ideoque viatores nos fore confidimus. Ita fecisse Judam Machabeum notissimum est ex libris Machabeorum.

Hoc faciunt jam principes christiani contra hæreticos et infideles in Gallia, Germania, Bohemia, Walachia, India, etc., deestantes, et idcirco de iis triumphant, et victoris pene miraculis potiuntur. Idem per umbram viderunt et fecerunt Gentiles. Alexandro enim digna vox est apud Dionem, orat. 2 *De regno*: «*Exuvias, ait, et hostium armis templa excolenda sunt; cum et hectorum hostium spolia ad sagittiferi Apollinis ædem se appensurum volebat.*» Plures eorum gnomas et exempla citavi *Numer.* xxxi, 30, ubi Israelite manubias Madianitarum Deo, quasi victoriæ datori consecraverunt; et *Genes.* xiv, 20, ubi Abraham, parta victoria de quatuor regibus, spoliorum decimas Melchisedecho, quasi Dei vicario et pontifici obtulit.

Victoris  
spolia  
dicant  
Deo.

Porro meminit frenorum potius, quam aliarum rerum, quia egit de hostibus Jerusalem et Ecclesie, quos devictos asserit suos frenos et phaleras, id est sua decora, delicias et opes vel sponte, vel coacte, puta per victores, oblaturos Ecclesie. Milites enim, puta equites, omnes suas opes olim ponebant, et etiamnum ponunt in adornandis armis et equis. Unde Juvenalis, *satyra xi*:

Argentis quod erat, solis fulgebant in armis.

Et mox:

Mignorum artificum frangebat pocula miles,  
Ut phaleris gauderet equus.

Hinc frena faciebant aurea. Talia erant Pallantis, *Æneid.* VIII:

Frenaque hinc meus que nunc habet aurea Pallas.

Talia quoque erant equorum quos Latinus misit ad *Æneam, Æneid.* VII:

Tecti sarto, fulvum mandant sub dentibus aurum.

Quin et angeli stipantes Judam Machabeum apparuerunt in equis, aureis frenis decori, lib. I *Machab.* cap. x, 29. Hinc illud S. Bernardi taxantis luxum non militum, sed prælatorum: «*Discite, Pontifices, in frenis quid facit aurum?*» Hæc et plura noster Sanchez. Sic Elisæus vocatus ab Elia ad vitam propheticam, id est sanctam et religio- sam, artis sue instrumenta, scilicet aratrum et boves, in sacrificio Deo obtulit, I *Reg.* xix, 21.

Hinc secundo, multi putant hic denotari Constantinum Magnum, qui clavum quo crucifixus est Christus, freno equi sui imposuit, ut ostenderet suam in Christum pietatem, utque profiteretur se Christi crucifixi ope et virtute obtinuisse, et spevare deinceps obtenturum victorias contra infideles ejus hostes. Tempore enim Constantini Ecclesia triumphavit de hostibus, eamque gloriam obtinuit quam hic describit Zacharias, *q. d.* Super frenum equi Constantini erit sanctum Domino, id est clavus sanctificatus Domino ex contactu sanctissimi corporis Christi. Quidni enim sanctus sit clavus, qui passionis Christi et redemptionis nostræ præcipuum fuit instrumentum? Ridet hoc S. Hieronymus, at non S. Cyrillus: «*Non incredibile, ait, hoc dixerit quis, neque alienum a decoro est, meminisse Deum et prophetica predicatione honorasse imperatorem valde piùm, etc.* Equos enim regum clavo crucis Christi ornari quid aliud declarat, quam summam imperatorum pietatem?» Magis asseverant S. Ambrosius, orat. *De obitu Theodosii imperatoris*: «*Quæsit (S. Helena) clavus quibus crucifixus est Dominus, et invenit. De uno clavo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexit, unum ad decorum, alterum ad devotionem vertit. Misit itaque filio Constantino diadema gemmis insignitum, quæ pretiosior ferro innexas crucis redemptionis divine gemma connecteret: misit et frenum, utroque usus est Constantinus, et fidem transmi-*

sit ad posteros reges. Principium itaque credentium imperatorum sanctum est quod super frenum: ex illo fides, ut persecutio cessaret, devotio succederet.» Et paulo post: «*Recte in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi presidium: in vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, ut fides luceat: habena quoque de cruce, ut potestas regat, sique justa moderatio, non injusta præceptio.*» Ac post multa ejusdem argumenti: «*Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, ut frena dirigeret, nisi ut omnibus imperatoribus Sancto Spiritu dicere videretur: Nolite fieri sicut equus et mulus; sed in freno et como maxillas eorum constringeret, qui se non agnoscerent reges, ut rogerent sibi subditos?» Adhucque illum hoc freno refrenasse insolentiam Tyrannorum, Licinii, Maximi, etc. Idem habet Theodoretus lib. I *Hist.* cap. xvii: «*Helena, ait, clavurum partem in imperatoris galeam artificiose includendam curavit, quo capiti filii consuleret, et hostium tela depellerentur: partem freno equi illius admisit, quo tum imperatorem tutum ac securem redderet, cum veterem prophetiam explere posset. Nam olim prædixerat Zacharias propheta: Quod est in freno equi, erit sanctum Domino omnipotenti.» Eadem habet Sozomenus lib. II *Hist.* cap. 1, Nicephorus lib. VIII, cap. xxxi, et alii.**

Porro Gregorius Turonensis, lib. *De Gloria Martyr.* cap. vi, constanter affirmans clavos quibus Christus crucifixus est, fuisse quatuor, scilicet singulos in singulis pedibus, æque ac manibus, ita eos distributos à S. Helena enarrat: «*Speciosi autem, omnique metallo nobiliores Dominiæ crucis clavi, qui beata membra tenuerunt, ab Helena regina post ipsius S. Crucis inventionem reperti sunt; et de duobus quidem frenum imperatoris munivit, quo facilis, si adverse gentes restitissent principi, hæc virtute figerentur, de quibus non est ignotum Zachariam vaticinasse prophetam,*» etc. Subdit tertium a S. Helena in mare Adriaticum tempestuosum, et naufragiis infame fuisse projectum, quo facto, mare deinceps navigabilibus fuisse placidum et tranquillum: quartum vero in galea statue Constantini fuisse positum. Idem habet Zonaras lib. III *Amalium*, licet S. Ambrosius, et Baronius, anno Christi 326, asserant eum positum, non in galea statue, sed in corona ipsa, quam in capite gestare solebat Constantinus. Subdit Gregorius miraculum clavi in freno, quod suo ævo, puta tempore Iustini imperatoris, contigit: «*Magnam, ait, ferunt virtutem esse hujus freni, quod ambigi nequaquam potest: quod Iustinus imperator publice experiri est, ac suis omnibus patefecit. Illius enim a quodam mago propter peccatum, emissas sibi a dempion umbra intolerabiles per duarum curricula noctium sustinuit insidias; sed cum tertia nocte frenum capiti collocasset, locum insidiandi inimicus ultra non habuit, repertumque auctorem insidiarum gladio percussit.»*

Clavurum  
Christi  
distributio.

Miraculum.

Denique per frenum significatur ipse Constantinus imperator, qui se suumque imperium cum freno submitit et sanctificavit, id est consecravit Christo. Unde Arabicus Antiochenus vertit : In die illa erit (sedens, puta Constantinus) supra frenum equi sanctificatus Domino; et Arabicus Alexandrinus : In illa die qui apprehendet putridum equi (hostilis a se cæsi) erit sanctum Domino omnipotenti.

Moraliter, frenum est continentia lingua dicanda Deo.

Tropologice, S. Hieronymus per frenum accipit continentiam et mortificationem, qua refrenamus prurium concupiscentiæ, præsertim oris et linguæ, per sermonem Dei, de quo Psalm. xxxi dicitur : « In campo et freno maxillas eorum constringe. » Et S. Iacobus cap. iii : « In equorum ora frenos mittimus, et omne eorum corpus circumagimus, ut scilicet recto gradiantur itinere, et mollia ad sedendum Domino possint terga probere. Tale frenum, et talis sermo auri et argenti varietate compositus, ferus equos Salvatori preparat ad sedendum, et sanctos facit, ac proprie illius cultui consecratos. » Hæc S. Hieronymus.

Nota : Pro מצלות metsillot, Aquila et Symmachus legerunt vario puncto מצלות metsillot. Unde vertant בשר, id est profundum; Symmachus, ψεψασσεν οσπασα, id est incessum umbrosam, sive tenebrosam, per que S. Hieronymus intelligit arcana et mysticam scientiam, « quam et David, ait, quasi equus optimus se habere iactabat, dicens : Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Psalm. l. » et Apostolus : O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius! Rom. xi, 33. De hoc profundo Propheta clamavit ad Dominum, et exaudivit eum. Psalm. xvii, 7. Has tenebras et sacramenta divina ingressus est Moses in Sina montis caligine, ut videret Deum; de quibus et David Psalm. xxxv, 7 : Iudicia Domini abyssus multa. Hæc arcana, et ista mysteria saneta sunt Domino, que novat Evangelista Joannes, quia usus est dicere, quod angeli forsitan nesciebant; In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et idcirco amatur a Domino : quia optimus habebat profundum, et recubuerat super pectus Jesu; unde et hauserat sapientiam.»

Phialarum triplex usus.

ET ERANT LEBETES IN DOMO DOMINI QUASI PHIALÆ. Lebetes erant olla, in quibus coquebantur carnes victimarum Deo immolarum. Phialarum in templo triplex erat usus : Primo, in eis adolebatur thymiama. Secundo, in iis libabatur, id est bibebatur, vel effundebatur vinum quasi libamen Deo, juxta illud Amos vi, 6 : « Qui bibunt in phialis vinum. Tertio, in phialis expiciebatur sanguis victimarum, qui deinde effundebatur ad cornua altaris, ut designaretur sanguinem in quo consistit vita animalis, ac consequenter ipsam ejus vitam dari et immolari Deo, ut dixi in Levitico. Quocirca magna erat copia phialarum, longæque major quam lebetum, vel ollarum. Dicit ergo Propheta,

tantum fore gentium concursum in Jerusalem, ad sacrificandum in festo Tabernaculorum, ut lebetum, in quibus coquendæ sunt victimæ, tanta sit copia, quanta phialarum alio tempore esse solet. Nam illo festo sicut crescit numero sacrificiorum et lebetum, ita crescet et proportionaliter phialarum. Unus enim lebes tres vel quatuor phialas requirit : quocirca tunc erant plures phialæ quam lebetes; sed tunc erant lebetes, quot alias solent esse phialæ, q. d. Multa erunt instrumenta sacrificiorum et cultus divini, quia multa erit populi frequentia, æque ac pietas et religio. Hoc ad litteram impletum est sub Machabeis, qui suis preliis Jerusalem et templo suum deus restituerunt et auxerunt.

Parabolice, verius est in Ecclesia Christi, in qua tot sunt lebetes, id est calices, patenæ, ciboria, hierothece, thuribula, aliaque vasa sacra in quibus vel sacrificantur caro et sanguis Agni immaculati Christi Domini, vel aliquod ministerium huic sacrificio exhibetur, quot in veteri lege et templo erant phialæ. Ita Lyranus. Aut, q. d. Sicut multi erunt lebetes, id est patenæ, ciboria et hierothece, in quibus consecrantur, vel reponuntur hostiæ consecrate, puta caro Christi : ita pariter multæ erunt phialæ, id est multi calices, in quibus consecratur, sacrificatur et bibitur sanguis Christi: nec enim caro consecrari potest nisi consecratur et sanguis : unde et omnis calix suam habet patenam, in qua reponatur corpus Christi.

Nota : Phiala sanctior et sacratior in templo erat quam lebes, primo, quia physice nitidior et purior, æque ac pretiosior, quia sepe erat ex argento vel auro; lebes vero ex argilla vel ære, isque ob ignem, carnes et fumum ater, fuliginosus, olens et sordidus. Unde illud vulgo tritum :

Vae tibi tu! nigra dicebat cacabus olla :

cacabus enim est lebes, æque ac olla. Secundo, quia phiala proprie et proxime serviebat sacrificio, nimirum exceptioni et effusioni sanguinis victimæ, puta libationi; item thymiama, ejusque suffitui et incenso : lebes vero tantum serviebat coquendis et lixandis carnis victimæ jam immolatæ, ideoque post exactum sacrificium, ut scilicet ejus participes fierent laici offerentes, et ex carnis victimæ quam obtulerant, comederent et epularentur coram Domino. Hinc tertio, phialæ omnes erant templi, ideoque sacratæ Deo : lebetes vero non. Nam etsi aliqui essent in templo lebetes pro coquendis carnis, sacerdotum præsertim, tamen affluente magna turba sacrificantium, ut fiebat in festo Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum, hi non sufficiebant : unde tunc laicus quisque sacrificans debebat procurare sibi lebetem, commodando, vel conducendo eum, in quo carnes suas coqueret; quem deinde commodandi vel conducendi reddebat. Prædicit ergo hic Zacharias, tantam fore devotionem populi, ut, cum plurimi confluxuri sint

Phiala sacratior lebetæ.

ad sacrificandum in festo Tabernaculorum, plurimi quoque ex Jerusalem et Juda afferant suos lebetes, non tantum pro se, sed et pro aliis, qui gratis eos advenis commodabunt, ut a mercatoribus eos emere vel conducere non sit opus; ac peractis sacrificiis relinquunt eos templo, Deoque d'cabunt in perpetuum : quo fiet ut tantus sit lebetum sanctorum numerus, quantus est phialarum, utque pene tam sacri habeantur (utpote Deo tanta devotione consecrati, et tot carnis Dei immolarum contactu sanctificati), quam phialæ, itaque in phialarum dignitatem et sanctitatem quasi transire videantur. Hoc ad litteram impletum sub Machabeis, cum ipsi repurgarent templum, ejusque dedicationem et encenia celebrarent coctis recepto igne divino, qui sacrificia consumpsit, quo miraculo viso certatim omnes concurrerunt ad offerendas victimas, quas hic ignis Deo concremaret.

Mystice, lebes est sacerdos.

Hinc mystice, lebetes sunt sacerdotes : sicut enim in lebetibus igne subjecto coquebatur caro victimæ; ita a sacerdotibus ignea vi et virtute Spiritus Sancti consecratur et conficitur Eucharistia, quam deinde fidelibus distribuunt quasi panem celestem et vivicum, q. d. Tantus in lege nova erit sacerdotum numerus, quantus in lege veteri fuit phialarum, aliorumque vasorum sacrorum.

Et mens phialæ.

Ita a Castro, Generalis Remigius et Vatablus per lebetes accipiunt mentes christianorum, in quibus igne charitatis consumuntur carnis vitia, et coquantur preces et vota ad Dominum : eadem sunt phialæ, in quibus thymiama devotionis et laudis ad Deum jugiter exhalat et fragrat, q. d. Tanta erit fidelium copia, qui seipso in corde quasi victimas mactabunt, et quasi thymiama suavissimum Deo offerent, quanta fuit lebetum ad sacrificia, et phialarum ad odoramenta in veteri Testamento. Paulo aliter S. Hieronymus; ipse enim lebetes et ollas carnis assignat judeis, phialas vero aromatum christianis : « Arment, ait, aeneos lebetes, qui amaverunt ollas Ægyptias; et carnes, et pepones, et allia, et cæpe, et cucumeres. Nos judæicos lebetes in quibus coquebantur carnes victimarum, vertamus in phialas aromatum coram altari Domini, de quibus sponsa dicit ad sponsum Cant. vi : Fratruelis meus descendit in hortum meum ad phialas aromatum, pascere in hortis, et colligere lilia, etc., ut impleat phialas animarum credentium, et Domino ex eis liba defundat. Istiusmodi lebetes cum versi fuerint in phialas Domini, et dicere poterint : Christi hodie odor sumus; et pro virulentia carnis varios cooperint flores gestare virtutum, tunc erunt in Jerusalem et in Juda sanctificati Domino. Jerusalem enim visionem pacis, Judas exprimit continentem. » Huc alludit Ecclesia, cum canit de S. Magdalena :

Fit ex lebetè phiala In vas translata gloriæ, Ex vase cotumelias.

q. d. Quæ prius erat atra lebes, plena carnis, gula, vino et venere, facta est phiala aurea offerens thymiama penitentiæ et charitatis Christo. Unde suos capillos, aromata, ceteraque lenocinia, et lebetes, id est gulæ et libidinis instrumenta, in Christi honorem impendit, eique quasi in phiala obtulit, uti unguenta pretiosa rupto alabastro in caput ejusdem effudit. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Haymo mystice hæc exponunt de mortificatione, qua lebetes, id est quidquid in nobis est ollare et carneum, igne Spiritus Sancti ita excoquitur, ut totum exhalet transeatque in spiritum; quo fit ut talem odorem Deo et angelis aspiret caro mortificata, qualem habere solent phialæ aromate fragrantæ, ait Sanchez. Sane hic sensus apposite respondet sensui literali, et differentie inter lebetem et phialam, quam paulo ante assignavi. Hæc quoque alludit Apostolus II Tim. ii, 20, et Rom. ix, 21, ubi docet in domo Dei esse vasa alia in honorem, alia in contumeliam; ac peccatorem, qui est vas contumelias, sic peniteat, seque a peccatis expurget, fieri vas honoris et gloriæ. Sic enim Magdalena, quæ peccatrix erat lebes ignominie, penitens facta est phiala gloriæ.

Lebes est mortificatio carnis.

21. ERIT OMNIS LEBES (scilicet ad sacrificia necessarius) SANCTIFICATUS DOMINO, — q. d. Abundabit templum vasibus rebusque necessariis ad Dei cultum, ita ut nihil cuiquam ad sacrificandum, Denique rite coquendum desit. Aut, q. d. Omnis lebes qui est in domo Domini, uti dixit versiculo præcedenti, jugiter ibi manebit quasi sanctificatus Domino, nec inde extrahetur ut applicetur usibus profanis. Calices enim et vasa sacra semel consecrata Deo, manent in æternum sacra, ut ex omni Jerusalem et Judæa certatim adducantur lebetes, in quibus carnes victimarum coquantur, ac dempses lebetes illi, quasi jam victimis hisce sanctificati, in usum templi remanebunt, eruntque Deo et templo consecrati. Hoc verum fuit in Machabeis, verius in christianis; hi enim abundant calicibus, thuribulis, lebetibus omnibusque vasibus ad sacrificium Deique cultum opportunis. His enim divites sunt Ecclesie, monasteria, templa, ad invidiam hæreticorum.

Mystice, omnes lebes, id est omnis sacerdos, adeoque omnis fidelis, manebit sacerdos et fidelis, id est Dei cultui addictus, et quasi Deo consecratus, ut in suo gradu fideliter et pie Deo serviat, nec amplius ad infidelitatem, scelera ususque profanos redeat, id est licite redire nequeat; et si talem se præstet qualem professus est, nunquam reipsa rediturus sit.

Ex hoc loco liquet hæc potius spiritualiter, quam corporaliter esse accipienda. Nam corporaliter in rigore falsum est, quod omnes lebes in Jerusalem et Juda fuerint sanctificatus Domino : alioqui enim Hierosolymitæ et Judæi debuissent

omnes suos lebetes deferre ad templum, et dicere Deo, nec ullos domi ad proprios usus retinere potuissent, quod liquet esse falsum. Spiritualliter autem verum est, quod omnis lebes, id est omnis sacerdos et fidelis in ordinatione et baptismo sit consecratus Domino. Unde S. Petrus loquens fidelibus etiam laicis: « Vos, ait, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum, » I Petr. II, 9. Et S. Paulus: « Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum, » Rom. xii, 1. Et: « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum laborum confidentium nomini ejus. Beneficentia autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostis promeretur Deus, » Hebr. xiii, 15.

ET COQUENT IN HIS, — q. d. Judæi sub Machabæis in suis lebetibus coquent carnes, quas Deo immolant; christiani vero, præsertim sacerdotes, in mentibus suis coquent pia et ardentia desideria, proposita et vota, quasi victimas Dei, tum contritionis et penitentia, tum laudum et hymnorum, tum charitatis, præsertim circa conversionem animarum, ut scilicet proximis doceant res salutis, a peccatis avocent virtutes, vitantque sanctam et perfectam inducant: hæc enim sunt victimæ Deo uli honorificentissime, ita gratissimæ et jucundissime. Addit a Castro alium sensum, q. d. Christi fideles eligent ex viris Deo sacris, quos ubique reperient, quem voluerint, ut per eum offerant Deo sacrificium verum Christi, puta Eucharistiam, sine quæstu et sumptibus; quibus olim opus erat ad commendas victimas, ollasque conducendas, ad coquendas carnes sacrificiorum. Unde sequitur:

ET NON ERIT MERCATOR. — Hebræi et Septuaginta: Non erit Chananeus, id est mercator, ut vertunt Aquila, Chaldaeus et Noster. Olim enim Chananeus in mercatura erant celebres. Jam sensus est, q. d. In templo erit abundantia lebetum, phialarum et cæterorum vasorum, quæ necessaria sunt ad sacrificiandum, ac proinde non erunt mercatores, qui ea peregrinis venientibus in Jerusalem ad sacrificiandum vendant aut elecent. Aut, ut Palacius, q. d. Tanta erit charitas concurrentium ad templum, ut quisque alteri, præsertim advenæ et peregrino, lebetes et phialas sine pretio gratis exhibeat et commodet; tanta otiam venientium erit devotio et diligentia, ut quisque sibi necessaria ad sacrificium secum

afferat, ac proinde mercatoribus, qui ea in festis vendere solent adventantibus, non erit opus. Id factum est sub Machabæis.

Jam sub hoc typo parabolice significatur, apud christianos volentes Deo sacrificare, non fore mercatores, qui vendant oves, boves, columbas, aliasque victimas, quas Deo immolent, atque ad sacrificium necessaria, uti erant apud Judæos, eo quod sacrificium christianorum futurum sit, non carnale hominum et ovium, sed mysticum, puta Eucharistia; aut spirituale et mentale, puta orationis, contritionis, charitatis, etc., q. d. In Ecclesia Christi facile et sine pretio licebit Deum colere, eique sacrificare. Hujus rei symbolo Christus e templo eiecit omentes et vendentes, Matth. xxi, 12. Hinc S. Irenæus sic exponit: Non erit Chananeus, id est Gabaonita, qui more suo (Gabaonitas enim Josue cap. ix, 27, damnavit ad ligna et aquam comportandum pro sacrificiis templi) necessaria ad sacrificium suppediet. Verum Gabaonita non erant mercatores, sed servi Hebræorum. Rursum non erit in Ecclesia mercator, scilicet rerum spiritualium, id est simoniacus, qui scilicet Eucharistiam, resque sacras pretio vendat aut emat, quia Christus præcepit Apostolis eorumque posteris: a Gratis accepistis, gratis date, » Matth. cap. x, 8. Ita Lyranus et Vatablus. Porro non erit simoniacus, id est licite esse non poterit, nec ut sit permittetur; quia a prelati Ecclesie puniuntur, et beneficio quod simoniacæ obtinuit, si res consistit, privabitur.

Alter Theodoretus, Albertus et Clarus: hi enim per Chananeum intelligunt sceleratum et improbum. Tales enim olim erant Chananeus, ideoque a Deo per Hebræos et terna sancta expulsi sunt, q. d. Christiani non erunt scelerati, sed pii et sancti; intellige quantum est ex vi christianismi et gratia Christi: omnes enim qui huic gratia obsequuntur et cooperantur, sancti sunt: si quis vero id nolit, non mirum si sceleratus evadat, sed sua culpa et malitia. Insuper si sceleratus sit, Ecclesia eum corrigere sataget; si monitus secundo et tertio se corrigere nolit, Ecclesia eum excommunicabit, et e cœtu fidelium expellet, juxta præceptum Christi, Matth. xviii, 17: « Dominus omnipotens, ait Theodoretus, hanc vocem veram esse hoc tempore præstat, ut nemo in nobis Chananeus videatur, sed omnes secundum traditionem Evangelicam, vivamus, et beatam spem expectemus, adventumque magni Dei conservatoris nostri Jesu Christi, cui cum Patre gloria et cum Spiritu Sancto nunc et sæmpet, et in secula seculorum. Amen. »

Mercator  
est  
simoniacus

Origines  
censuit  
Malachiam,  
Aggeum  
et Joannem  
Baptistam  
fuisse  
angelos.

## COMMENTARIA

IN

# MALACHIAM PROPHETAM.

## ARGUMENTUM.

Queritur PRIMO, quis fuerit Malachias? Respondet primo, Origenes apud S. Hieronymum et Cyrillum, eum fuisse angelum qui corpus assumpsit, illudque sibi hypostaticè univit, ut esset typus Christi, et ut hæc Dei oracula Judæis enuntiaret. Id probat ex eo quod Malachias hebraice idem sit quod angelus Domini. Et ita vertunt cap. I, 4. Septuaginta et ex his Clemens Alexandrinus lib. I Stromat., et S. Augustinus lib. XX De Civit. cap. xxv. Et S. Chrysostomus orat. 2 Contra Judæos, et homil. 14 in epist. ad Hebr.: « Lege, ait, quid dicat Aggeus, quid Zacharias, quid angelus (puta Malachias), quid Esdras in euss. » Simili argumento motus Origenes, censuit Aggeum et Joannem Baptistam fuisse angelos incorporatos, eo quod in Scripturis vocentur angeli, ut patet Aggei I, 13, et Matth. xi, 10. Cum Origene sensisse videtur Tertullianus lib. De Carne Christi, cap. in et vi, ubi probat non fuisse Verbo Dei impossibile carnem assumere, ex eo quod id angelis fuerit possibile: quod nisi de assumptione hypostatica intelligas, ejus ratio inutilis esset et nullius momenti. Porro Origenes hanc sententiam tradit tum alibi, tum discrete tomo II in Joannem, explicans illa Malachia verba: « Ecce ego mitto angelum meum. » Verum hic est error. Nam de fide est Joannem Baptistam fuisse hominem, generatum ex Zacharia et Elisabeth, ut patet Luc. I, 48, et Joan. I, 6. Et certum est omnes Prophetas fuisse homines. Unde Ecl. cap. xix, 12: « Et duodecim Prophetarum ossa, inquit, pullulent de loco suo. » Si habuerunt ossa, eaque rursum pullulabunt et resurgent; ergo fuerunt veri homines: hi enim constant carne et ossibus. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus et alii passim. Ad argumentum respondeo Prophetas vocari angelos, id est nuntios et legatos Dei. Sic quilibet sacerdos a Malachia vocatur angelus, cum ait cap. II, 7: « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requient ex ore ejus; quia angelus Domini exoriturum est. » Secundo, vocatur angeli ob angelicos mores, for-

nam et vitam. Simili modo multi hodie filii suis induunt nomen angelus, ob devotionem quam habent erga angelos, utque eorum puritatem imitentur. Ita S. Epiphanius lib. De Vita et moribus Proph. in Malachia et Aggeo, qui et addit ex sententia Hebræorum, Malachiam vocari angelum, eo quod quæcumque prædicaret, eadem ab angelo de caelis veniente doceretur et confirmarentur. Sed hujus rei fides sit penes Hebræos; certe videtur olere fabulam et figmentum Rabbinicum (1).

Secundo, veteres Hebræi, æque ac moderni tradunt Malachiam fuisse Esdras sacerdotem et scribam. Hanc traditionem referunt et sequuntur S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Ribera et alii. Rationes et conjecturæ hujus sententia sunt variae. Prima, quia Malachias idem argumentum tractat quod Esdras, scilicet taxat neglectum legis cultusque Dei, ac nominatim matrimonia cum alienigenis, quæ Esdras culpæ cap. ix. Secunda, quia Esdras eodem tempore vixit quo Malachias, ac meminit cap. v, 1, Aggei et Zacharie, non tamen Malachia: ergo signum est ipsismet fuisse Malachiam, qui ita dictus sit, cum a Deo quasi angelus, id est nuntius et propheta, ad populum missus est, ut eos induceret ad penitentiam, qua imminentes clades effugerent. Tertia, quia Esdras vir mire sanctus, zelosus et egregius prædicator, omnino videtur fuisse propheta, nec alius esse potuit, quam Malachias. Quarta, quia Ecclesiasticus cap. xix, cum laudat Zorobabel, Jesum, Nehemiam, præterit Esdras, qui illis virtute et gestis non cedit: ergo verisimile est ipsum eum laudasse inter 12 Minores Prophetas, sub nomine Malachia. Ex adverso Jo-

An Mala-  
chias sit  
Esdras?

(1) Sunt etiam quidam inter Hebræos qui putant Malachia nomen, non esse verum et proprium nomen Prophetae, sed factitium et figurativum, ut puta offitii, ab ipso Propheta formatum. Hæc vero interpretatio eo minus potest admitti, quod nullum aliud in librorum veteris Testamenti inscriptionibus existet exemplum positi nominis solius officii scriptoris, omisso nomine ejus proprio.